DE FEBRE NERVOSA ABDOMINALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. IUNII A. MDCCCXL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS VONDRAN

GUESTPHALUS.

Opponentibus:

F. STEINER, med. et chir. Dr.
F. ZAPP, med. et chir. Dr.
A. BUCHHOLZ, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

OPTIMO, EXPERIENTISSIMO, SUMMOPERE COLENDO

VOSS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO STELAE FELICISSIMO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE FEBRE NERVOSA ABDOMINALI.

Febris nervosa abdominalis, quam scriptores et febrem entero-mesentericam (Pinel), febrem nervosam stupidam (P. Frank), exanthema intestinale (Andral), gastro-enteritidem (Broussais), dothienenteritidem (Bretonneau), febrem typhodem, typhum abdominalem seu sporadicum, seu gangliosum dicunt, ita decurrit, ut haec fere stadia distinguere liceat.

Stadium prodromorum, etsi saepenumero deest, haecce praebet signa: vultus mutatus tristitiam quandam exprimit; vires valde decrescunt, corpus marcescit, lassitudo, inquietudo, artuum dolores, ciborum appetitus minutus vel nullus, alvi fluxus, interdum nausea et vomitus adsunt.

Jam morbo ipso ingruente, capitis dolor in-

festat aegrum, praesertim mane ubi e lecto surrexit, vultus mutatus; neque raro fit, ut jam principium morbi stuporem quendam afferat, quamquam stupor posteriori stadio proprius esse dicitur. Musculorum vis contrahendi adeo languescit, ut cubile petat aeger. Diarrhoea, indicium gravissimum morbi jam praesentis, primo vel altero die invadit, eique ventris tormina adjunguntur.

Primum morbi stadium cephalalgia, quae a primo jam urget, virium prostratione, diarrhoea, meteorismo, abdomine vel ex levissimo tactu dolorem, potissimum in regione iliaca dextra movente, epistaxi, exanthemate illo, quod typhosum dicitur, notatur.

Ac cephalalgia quidem, quae, modo gravior, modo levior, modo premens, modo pulsans, frontem occupare solet, per totam primam hebdomadem perseverat, et exeunte hoc stadio paene semper recedit. Fit tamen in nonnullis aegrotis, ut cephalalgia per totum morbi decursum permaneat.

Lingua superficiem exhibet muco tenacissimo coopertam, colore rubro ad apicem et margines, atque striis albidis in utroque latere notatam. In plurimis tamen aegris color iste rubicundus sub finem demum hujus stadii apparet, praeeunte in aliis colore albido, sordido, flavo obducto, una cum sapore ingrato, in aliis una cum sensu quodam ingratissimae amaritudinis.

De faucium dolore queritur aeger, deglutitionem moleste ferens; ciborum appetitus semper deest, saepe nausea accedit, raro ejectio materiarum, quae modo mucosae, albidae, acido odore sunt, modo flavidae, biliosae.

Atque etiam diarrhoea ad ea pertinet signa, quae et frequentissima et propria hujus stadii observantur. Eaque nunquam fere deest. Verumtamen saepe fit, ut demum ineunte stadio altero eveniat. Ad numerum et rationem evacuationum magna exstat varietas; observationibus enim docemur, alvum vel semel, vel quindecies vel vicies intra viginti quatuor horarum spatium profluere; utplurimum autem quatuor vel octo

alvi dejectiones per diem animadvertuntur. Sedes ipsae aut prorsus liquidae, particulas quasdam subflavas in profundo exhibentes, aut magis rigentes, ex atro flavescentes et foetidissimae reperiuntur.

Fit interdum, ut abdomen percussum ipsis primis diebus morbi clarius resonet, ita, ut gas inesse intestinis judicare liceat. Deinde vero abdomen convexam induit formam, ac primum quidem supra regionem pubis, ubi, si percusseris, meteorismum cognosces, prius quam oculis eum cernere possis.

Atque etiam borborygmi in hoc morbo frequentius observantur. Accedit febris vehemens. Pulsus arteriarum primis quidem morbi diebus plenus, durus, frequens evadit; sed paucis diebus post mollis fit, multo frequentior, facile comprimendus. Cutis, initio quidem rubescens et spirans, in medio hoc stadio calorem quendam siccum et mordacem tangentibus exhibet. Urina parca et foetens.

Epistaxis quidem haud multam sanguinis co-

piam profundere solet; nonnunquam tamen fit, ut, multo sanguine et crebro profluente, admodum debilitetur aeger, ita, ut ad sistendum sanguinem properandum sit.

Quod ad respirationem attinet, ad utrumque thoracis latus strepitus quidam sibilans in plurimis aegrotis auribus percipitur et vehementior quidem in inferiori aversoque pectore, quam in superiori et adverso. Sputa, quae parca et laboriose ejiciuntur, limpida, tenacia, vasi adhaerentia et stellarum instar cernuntur.

Stadium alterum priora quidem symptomata mutata, atque praeterea nova manifestat.

Exanthema typhosum illud, cujus jam supra mentionem fecimus, ineunte altero morbi stadio maxime inter septimum et nonum diem apparet. Cernuntur maculae parvae, roseae, ambitum $1\frac{1}{2}$ vel 2 linearum aequantes, pressui cedentes ac sparsim in imo ventre, aliquando etiam in thorace, raro tamen in cruribus, vel humeris, vel antibrachiis, dissipatae. Quae maculae ex febre typhode natae numero minimo 15—20, vel ma-

jori apparent. Tempus earum variat, aut jam post biduum vel triduum ita evanescunt, ut vix ullum earum vestigium supersit; aut per 12 ad 15 dies perseverant.

Apparent quoque, praesertim exeunte hoc spatio, sudamina quaedam et primum quidem ad utrumque colli latus, prope axillas et inguina, interdum vero totum truncum et extremitates occupant. Sunt autem sudamina illa vesiculae parvae, hemisphaericae, limpidae, diametron $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ lineae aequantes, quae dehiscunt, et abolescunt, si leviter eas premunt digiti, qui humore illis contento madent.

Est id quoque hujus stadii proprium, ut escharae et exulcerationes in variarum partium superficie facillime nascantur, potissimum in vulneribus artificialibus, unde haud raro accidit, ut vesicatoriis vel sinapismis admotis, et cava ulcerosa et gangraena fiant, aut decubitus, qui in gangraenam abire solet.

Conditio aegroti universa, ut virium prostratio et stupor, aut eodem modo perdurat quo in

stadio priori, aut in pejus provehitur. Tum debilitas adeo increscit, ut aeger ipse se sustinere jam nequeat, alienoque auxilio, tamquam mortuus, indigeat. Accedit dysphagia, a nimia pharyngis musculorum debilitate profecta (perraro enim epiglottidis vel laryngis affectio quaedam subest), quare potus immissi per os naresque expelluntur.

Multo vero pejus graviusque symptoma existit ex musculorum fibris contrahendi facultate destitutis, evacuationes videlicet involuntariae. Inscio aegroto faeces emittuntur; vel, etsi ille interdum sensus haud est expers, tamen retinere eas non valet. Sed pessimum symptoma est urinae suppressio vel ischuria. Nam, nimia urinae copia collecta, distenditur vesica urinaria, et tum demum, postquam universa corporis oeconomia summum detrimentum cepit, guttatim quidem, non perfecte emittitur urina. Quare medici est, ut quotidie inquirat, an urinam reddat aeger.

Atque etiam cerebri affectio multas varieta-

tes in hoc stadio praebet. In morbo enim leviore cephalalgia prorsus evanuit, loco agrypniae et comatis vigilis succedit sapor altissimus.

Pro stupore aegri interdum exaltationem animi quandam ostendunt, dum delirant. Delirium autem in aliis modo vespere et nocte viget, interdiu remittit, in aliis permanet, aut furibundum, aut taciturnum.

Est id quoque frequens hujus stadii symptoma, ut aegri baryecoia laborent, quae vel ad surditatem perfectam augescere potest. Pulsus hoc quidem stadio parvus, debilis, tremulus, nonnunquam vel saliens invenitur. Frequentia ejus 100—120, sub finem stadii secundi interdum imminuitur ad 40—50. Exacerbationes semper fere ad vesperam ingruunt, ac modo leviores, modo graviores evadunt, rarius horrore et sudore stipantur, quam in primo stadio.

Cutis jam multo siccior, asperior. Sitis minus vexat. Aeger, cum plerumque per nares aëris aditus jam non pateat, solum per os spiritum ducere coactus est, quippe quod magis sicce-

scat et ex saliva concrescente, materia grisea quadam obtegatur. Labia, lingua, dentes initio quidem grisea, tum brunea, denique nigra et nitente materia teguntur.

Sunt quoque, quamvis pauci, in quibus haemorrhagiae ex ano occurrant, vel modicae, vel tam ingentes, ut, potissimum in secundo morbi stadio, mortem accelerent.

Meteorismus denique in hoc quidem stadio aut parum mutatur, aut adeo increscit, ut tympanitae nomen mereatur. Ventris dolores vix jam percipiuntur, nisi ab iis, qui morbum admodum mitem patiuntur et sui plane compotes sunt. Quandoque jam in hoc morbi stadio accidit mors, scilicet inter diem octavum et decimum quintum.

Stadium tertium discrimen morbi affert, cum aut in faustum aut in funestum exitum terminetur. In priore casu gravissima omnia symptomata mitescunt: sopor ille in somnum quietum mutatur, motus corporis expeditiores procedunt, dysphagia minuitur, os linguaque humescunt, meteorismus decrescit, faeces magis flavescunt, co-

haerescunt, foetorem illum amittere incipiunt. Pulsus frequens esse desinit, fit minus mollis et validior. Cutis siccitatem amittit, sudor levis interdum incidit.

Quodsi vero in pejus vertitur morbus, stupor ingravescit, vultus magis mutatur, oris siccitas augetur, respiratio molestior fit et stertens. Pulsus simul magis languescit, calor recedit, cutis siccitas augescit, oculi tanquam in orbitam recedunt, vultus stuporem quendam exprimit, eamque affert imaginem, quae facies Hippocratica dicitur.

Sed etiam alio modo ingredi potest mors: aut tetano vel convulsionibus epilepticis, aut vehementissimis abdominis doloribus, qui subito intrant, cum sensu quodam lipothymiae conjuncti. Tum enim accessit peritonitis, quae ex perforatis tunicis intestinorum et faecibus in cavum peritoneale ingressis nata est.

SECTIO CADAVERUM.

Inter mutationes, quas cadavera secta nobis ostendunt, maxime notandae sunt eae, quae in membrana mucosa tubi intestinalis occurrunt. Etenim praecipue in intestino ileo et quidem in vicinia valvulae Bauhini folliculi intestinales s. glandulae Peyerianae intumescunt et exulcerantur, ita, ut interdum vel cunctae membranae perforentur. Hoc idem in glandulis solitariis accidit. Ulcera ipsa latitudinem 2 — 3 linearum vel duorum pollicum habent, et interdum per totum ambitum extremae intestinorum tenuium partis patent, et altitudinem petere solent. Praeterea duodenum et jejunum magis purpureum colorem, quam cetera intestina tenuia, afferunt simulque subflavescunt. Ileum autem colorem laete rubrum exhibet; saepenumero quoque fit, ut dimidium ileum laete rubescat, reliquum palleat. At vero intestinorum crassorum membrana mucosa raro intense rubescit, sed maculas quasdam tam lividas continet, quas ecchymomata pu-

taveris. Ventriculi membrana mucosa plerumque rubescit, interdum pallescit vel flavescit. In aliis typho defunctis tunica mucosa ventriculi colorem ex rubro nigrescentem, interdum fere lapidis fissilis livorem offert. Ceterum emollita videtur illa plerumque, praesertim ad saccum coecum ventriculi. Quin etiam omnes tres ventriculi tunicae emollitione correptae sunt. Interdum tunica mucosa vel plane deleta invenitur, ita, ut tunica cellularis et muscularis denudatae sint. Interdum etiam sparsim restant ejus fragmenta quaedam floccorum instar, aut emollita tunica mucosa adhaeret quidem tunicae cellulosae, sed ita, ut facili negotio digito eam separare possis.

Crassities tunicae intestinorum mucosae multo rarior invenitur, quam emollitio. Frequentior est illius extenuatio, quae comes esse solet emollitionis, et plerumque ad saccum coecum ventriculi occurrit. Quae emollitio consociata est cum ingenti ventriculi dilatatione, eaque etiam rursum extenuationem tunicae cellulosae et muscularis efficit.

Organa thoracis: — Pulmones hepatisatione, emollitione, pneumonia lobulari destructi, tunica intima inde a bifurcatione tracheae ad bronchia usque rubore tincta cernebantur. Cor flaccidum, pallidum, emollitum, et tunica intima ejus majorumque arteriarum aut laete rubescens aut ex rubro nigrescens, aut ex rubro fusca vel violacea et inflammata inveniebatur.

Cerebrum utplurimum nullas offert mutationes. Interdum tamen sinus venosi sanguine turgentes distenduntur, vel eo usque ut sanguis e vasis in telam ipsam meningum ingrediatur. Atque etiam serum effusum aut emollitionem levem aut indurationem quandam cerebri detexerunt.

AETIOLOGIA.

De causa proxima typhi multum disceptatum est inter medicos. Quorum alii in inflammatione et ejus exitu, scilicet exulceratione tunicae mucosae intestinalis, morbi originem fontemque ponunt, et universa symptomata typhosa nonnisi tanquam umbram illius affectionis localis esse

volunt. Alii haud multum dissidentes exordiri quidem morbum ab affectione intestinali fatentur, sed tamen morbi ipsius vim in ulceratione, quae typhum efficiat, versari arbitrantur. Alii affectionem intestinalem pro exanthemate tunicae intestinalis habent, et febris rationem in typho eandem esse, quae in exanthematibus acutis esse soleat, existimant. Ii vero, qui febrem mere nervosam statuunt, ulcera intestinorum illa febri nervosa producta esse censent, quae febris, ubi opportunitas faveat, ad destructiones illas locales tendat. Sunt quoque, qui affectionem intestinalem pro metastasi, quae in posteriore morbi decursu nata fuerit, habeant. Alii ganglia abdominalia male affecta auctores et febris typhosae et ulcerum intestinalium esse existimant. Neque deerant, qui a sanguine male mixto vel dissoluto et cuncta symptomata typhosa et degenerationes intestinales peterent. Atque etiam in encephalitide ponere voluerunt medici nonnulli typhi naturam atque indolem. Quae vero sententia jam diu refutata est. Omnium

autem mutationum, quae in cadaveribus reperiantur, illam tunicae mucosae intestinalis plurimum facere ad typhum constituendum, vix negari potest; utrum vero febris nervosae sint effectores an effecta, quaestio est difficillima.

Quod ad causam praedisponentem attinet, juvenes utriusque, imprimis masculini sexus maxime ad typhum proclives sunt, et quidem inde a pubertate ad medios usque aetatis annos. Atque etiam constitutiones venosae ad morbum nostrum magis pronae sunt. Ordines hominum inferiores multis ex causis frequentissime typho sunt obnoxii.

Ad causas occasionales adnumerandae sunt et injuriae cuti illatae, ut refrigerium, et cibi concoquendi difficultas, tum vita sedentaria, praesertim si mentis intentiones adjunguntur. Etiam animi affectus imprimis deprimentes, ut curae, metus, multum facere possunt ad typhum provocandum, quod, si reputamus, quanta sit illorum affectuum tum in universos nervos quum in organa digestionis vis, facile est intellectu.

Neque omittendum est, causam gravissimam in constitutione stationaria et annua esse quaerendam, prout haec gastricam simulque nervosam formam prae se ferat.

PROGNOSIS.

Ad prognosin typhi statuendam, quamvis semper fere sit dubia, aetatem tamen, sexum, causas occasionales, symptomata singula respicias necesse est. Juniores meliorem admittunt prognosin. Quo magis debilitantes erant causae, ut praegressa humorum jactura, animi affectus deprimentes, eo pejus praesagium habent. De singulis autem symptomatibus haec notanda sunt: Secessus involuntarii pessimi ominis sunt, item sedes sanguine mixtae, haemorrhagiae intestinales semper mortem indicant.

Coma longius et gravius, permalum signum est. Minus autem periculum minatur stupor, ex quo aegri plerumque valescunt.

Delirium, si jam initio morbi apparet, vel invalescit, periculum indicat, si in stadio secundo

vel extremo, minus timendum est. Alvus obstructa pejor est, quam modice aperta, sed alvi fluxus nimius malum signum est, quoniam et affectionem localem vehementem declarat, et vires consumit.

Dolor abdominis, si subito ingruit, una cum meteorismo peritonitidem, fortasse ex perforatione tubi intestinalis natam, indicat.

Pulsus frequens, nisi certos fines transeat, nihil infausti denotat, si vero augescit ad ictus 130 vel adeo ad 150, mors instat. Si tardior fit pulsus, ceteris symptomatibus non mitescentibus, imminet mors; sin caetera symptomata non exacerbantur, inde prognosis certo haud perturbatur. Exanthemata typhosa nullam vim habent, nisi numerosissimae petechiae vel miliaria apparent, quae pro malis signis certe habenda sunt.

Lingua arida et materiis fuliginosis obducta mali praesagii est; boni, si humescit.

Tum etiam complicationes, quas init interdum typhus, valde sunt respiciendae. Sic erysipelas faciei periculosissimam affert complicationem. Porro

pneumonia, quae occulta adjungitur typho, periculosa est, et ob statum asthenicum, in quo versatur aeger, et quia facillime a medico haud cognoscitur.

CURA.

Etsi certas medendi indicationes vix licet exspectari, ubi de morbi natura cognitio nostra tam imperfecta est, tamen experientia haec nos edocet. Initio quidem morbi, ubi signa congestionis apparent, methodus leniter antiphlogistica et derivatoria valde laudanda est. Ubi signa inflammationis sese manifestant, ipsa vena secanda est. Ventris doloribus succurrendum est hirudinibus, vel cucurbitulis applicandis, vel cataplasmatibus emollientibus. Plurimum interest, ut aperiatur alvus, si obstructa est, per salina, vel, quod praestat, per oleosa, potissimum per oleum ricini. Atque etiam calomelas convenit. Ubi vero alvi fluxus nimius est, sistatur vel minuatur necesse est, ne vires

consumantur, per mucilaginosa, ipecacuanham in refr. dos., vel acid. muriat. Valde quoque expedit, cutis actionem per balnea calida augeri, vel derivationis et antagonismi causa sinapismos applicari. Omnino cavendum est, ne quid concedatur aegroto, quod tractui intestinali molestiam afferre possit. In stadio altiore morbi ingravescentis, ubi jam exulceratio intestinalis locum habet, prospiciat medicus, ut et alienatio localis alteretur et vires suscitentur. Illud quidem remediis alterantibus, hoc roborantibus et excitantibus effici potest. Inter alterantia autem remedia primum obtinet locum calomelas, praecipue majoribus dosibus. Cujus vis alterans efficit, ut interdum subito vel vehementissimus alvi fluxus sistatur.

Aqua oxymuriatica, quoniam et alterantem et excitantem vim exercet, jure celebratur.

Camphora ut alterans, simulque excitans, multum praestat.

Asam foetidam quoque in nosocomio Caritatis Berolinensi saepenumero feliciter adhibitam

esse ill. Bartels contendit. Etiam alia alterantia, uti antimonialia, cuprum sulphurico-ammoniatum, plumbum aceticum, ferrum muriaticum commendantur.

Inter remedia excitantia nervina omnium praestantissimum est moschus et ammonium (liq. amm. succ., carb., acet.). Moschi grana singula vel terna pro dosi sufficiunt. Vino quoque dulci uti licet, nisi forte symptomata congestionis vetant.

Ex aromaticis praecipue cinnamomum (aqua syr. tinct. cinnam.), nux moschata aliaque praesertim in morbo protracto vel incipiente reconvalescentia, cum felici successu adhibentur.

Ex tonicis et roborantibus praeter ferrum et acida mineralia in stadio convalescentiae imprimis china valde laudanda est.

Hactenus de universa typhi curatione. Sed sunt singula symptomata graviora, quae aut propriam curam poscant, aut universae curationis mutationem quandam necessariam reddant. Huc pertinent: Haemorrhagiae. Si sanguinis fluxus

ex naribus tantopere invalescit, ut periculum inde oriatur, sistatur ille aut aqua frigida naribus immittenda, aut vasorum majorum ligatura.

Enterorrhagia nimia coercenda est ope aquae frigidae vel glaciei, quae ad modum potionis, clysmatis vel epithematis abdomini admovendi adhibeantur, vel potu aquae cum succo citri, vel clysmatibus sive mucilaginosis sive adstringentibus. In hunc finem praeter demulcentia etiam acida mineralia valde diluta, vel inf. ipecac. et rd. arnicae commendantur. Ad diarrhoeam colliquativam arcendam multum quoque expedit epispasticum satis magnum ventri applicatum.

Si decubitus apparet, aeger cubitum mutet, et osse sacro correpto, alterutro latere aut pronus jaceat. Si eschara adest, emplastro dyachyli obducatur.

Inflammationes si in posteriore morbi tempore accedunt, ut bronchitis, sanguinis detractionem non nisi cautissima manu admittunt, et quidem magis topicam, cucurbitulas cruentas. Quodsi vero summa adynamia, sicut plerumque fieri so-

let, adest, ab his ipsis abstinere medicus et derivantibus contentus esse debet.

Tumores metastatici cataplasmatibus irritantibus curentur necesse est, quoniam naturae energia debilior est.

Ut peritonitis, quae a perforatione tractus intestinalis proficiscitur, curetur, intestina immota sint, necesse est. Opium hoc in casu a nonnullis commendatur, quippe quod dolores inflammationis sedet, motus intestinorum peristalticos inhibeat, cursum faecium retardet vel prohibeat, ita, ut adhaesiones, ad loca perforata ortae, satis solidescere queant. Opium autem, et peritonitide jam superata, propinandum erit, donec adhaesiones illae satis firmae evaserint.

VITA.

Ego Fridericus Vondran, confessioni evangelicae addictus, natus sum Altendorpii, vico provinciae Guestphaliae, anno MDCCCXII. patre Friderico Vondran, matre Christiana, e gente Reese, quos parentes Dei gratia superstites veneror. Primis literarum elementis domi imbutus, gymnasium, quod Essendiae floret, per duos, et gymnasium Tremoniense per tres annos frequentavi. Anno MDCCCXXXIV Bonnam petii, ubi ab Ill. Brandis, t. t. rectore magnifico, civibus universitatis adscriptus apud Ill. Mayer, t. t. medicorum ordinis decanum, nomen dedi et has scholas frequentavi: encyclopaediam et methodologiam Ill. Naumann; botanicen Ill.

Treviranus; zoologiam Ill. Goldfuss; mineralogiam Ill. Noeggerath; logicen et psychologiam Ill. van Calker; chemiam Ill. Bischof; anatomiam et theoreticam et practicam Ill. Mayer et Ill. Weber; physiologiam Beat. Windischmann. Deinde Gryphiam me contuli et ab Ill. Barkow, t. t. rect. magn., civium academicorum numero adscriptus nomen apud Ill. Berndt, medicorum ordinis t. t. decanum, professus sum. Per biennium hic loci commemoratus hosce viros doctissimos disserentes audivi: de anatomia Ill. Schultze et Laurer, de botanice pharmaceutica Ill. Hornschuch; de materia medica, arteque formulas medicas concinnandi, de arte fascias rite alligandi, de pathologia generali, semiotice, chirurgia generali et speciali Ill. Seifert; de akiurgia atque ophthalmiatrice Ill. Kneip. Artem cadavera rite dissecandi me docuit Ill. Schultze, quem virum disserentem quoque audivi de anatomia pathologica et comparata. Pathologiam et therapiam generalem atque specialem per annum in-

tegrum et dimidium mihi tradidit Ill. Berndt, qui et artem obstetriciam me docuit. Scholas clinicas et medicas et chirurgicas per tria semestria ducibus Ill. Berndt atque Exp. Kneip frequentavi.

Tum Gryphia relicta hanc almam Fridericam Guilelmam literarum academiam adii, cujus civibus me adscripsit t. t. rect. magn. Boeckh et in ordinem medicum me retulit Ill. Wagner, t. t. decanus. In clinicis duces habui Cel. Wolff, Cel. Trüstedt, Ill. Jüngken, Cel. Barez, Ill. Rust, Ill. Dieffenbach. Ut legi civitatis satisfacerem, per annum duce viro Exper. Hellberg chirurgi militaris munere voluntarius functus sum. Quibus omnibus viris pro summis de me meritis gratias ago quam maximas.

Jam vero superato tentaminibus et philosophico et medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine, spero fore, ut, dissertatione atque thesibus defensis, summos in medicina et chirurgia honores adipiscar.

THESES.

1. Respiratio non est supremus caloris animalis fons.
2. Punctio vesicae urinariae supra arcum ossium pubis praeferenda est punctioni per intestinum rectum.
3. Animi morbi a corpore dependent.
4. Nullum certum virginitatis signum.